

descendisse; cum hujusmodi traditiones, ut ipse quidem existimas, non per alios, quam per Episcopos illos antiquos, & sanctos auctores Apostolis succedentes ad nos usque pervenerint. Non est autem proditum litteris, priscos illos scriptores id a majoribus accepisse. Traderent enim bona fide & ipsi posteris suis. Ipsi autem non tradiderunt. Nam saeculo quinto in magna Ecclesia non modo quiete, sed etiam felicitate hujus rei nulla mentio ab iis Patribus facta, qui & multi tum floruerunt, & Deipara laudibus mirum in modum velificati sunt. Quin Augustinus in sermone, quem habuit de Joanne Baptista (a), *Natalem*, inquit, *Sancti Joannis hodie celebramus: quod nulli unquam Sanctorum legitimus fuisse concessum. Solius enim Domini, & Beati Joannis dies Nativitatis in universo mundo celebratur, & colitur.* Quo pertinent ista, nisi ut appareat, sanctitatem Mariae, cum in lucem est edita, non veterum Patrum testimonio scripto, quod exter (nam, quod sciamus, nec ullum fuit, nec fuisse necesse est) sed generalibus nisi eorumdem sententiis, quae Mariam ab omni sorde, & labe peccati alienissimam, numquam obnoxiam maledicto, semperque beatam verissime habent? Quocirca etsi ortum Mariae non celebrabat Ecclesia aetate Augustini (nec enim omnia simul Mytheria publice coli necesse fuit) tamen erat jam inde a primis ducta temporibus certa traditio; eaque litteris consignata multorum Patrum, Mariam Virginem antonomastice *Παρθένον*, hoc est omnino; & undequaue sanctam extitisse; neque solum immaculatam, sed *παραμυρρον*, hoc est ejusmodi, ut nulla macula possit aspergi. Nolo hic ego antiquitatem excutere. Est enim supervacaneum in tanta copia librorum, qui Patrum sententiis ad istam rem pertinentibus referti sunt. Atque id maxime damus operam, ut strictum, presseque disserendo libellatoris inscitiam castigemus. Sic ergo conficio: Sanctum fuisse B. Virginis ortum non ea ratio, qua iste utitur, probat; non peculiaris traditio; non ver-

E

(a) Ser. 21. de Sanct.